



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quæ sit fides & obseruatio veteris Ecclesiæ de Traditionibus 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

oppugnationibus & criminationibus eorum satis tutus foret. Nempe ut curarent, ne quid aliud in S. conuentibus prælegeretur, quàm S. scriptura, ex eaque sola conciones & cantiones desumerentur: ut Pastores soli Animarum curæ, soli doctrinæ & institutioni plebis inuigilarent, omnesque mundanas occupationes, nec non rudem istam nimisque nudam legendi & canendi consuetudinem abiicerent: ut sanctè & inculpatè viuerent, vel si secus facerent, in hoc ministerio non tolerarentur: ut omnes lectiones, preces & ceremonias, quas in Ecclesia coram multitudine exercent, ita temperarent, ut omnia quæ ibi geruntur, tota Ecclesia intelligere, atque per ea in fide Domini nostri Iesu ædificari & prouehi posset. Ut S. Cæna Domini semper vna tantum in vno populo celebraretur, & sub vtrisque signis omnibus ex æquo distribueretur. Tales traditiones aliæque id genus quàm plurimæ, de quibus dubium non est, quin ab Apostolis sint protectæ, id quod Aduersarij ipsi fatentur, iam dudum in Ecclesiis eorum in desuetudinem abierunt. Hanc manifestam deprauationem, & perniciosum verè Apostolicarum traditionum neglectum, hanc euersionem piarum & salutarium ordinationum Aduersarij defendunt, & interim Librum Reform. accusant, quasi traditionibus Apostolicis repugnet: multasque antiquas pias & salubriter institutas ordinationes aboleat: id quod, teste conscientia eorum, nunquam in æternum demonstrare poterunt.

Verum hæc præcipua causa est, propter quam Aduersarij hunc librum Reformationis tam grauitè oppugnant: nempe quòd verè Apostolicas ordinationes in pristinum ac pium usum restituere conatur. Metuunt enim ne si id fieret, prouentus ac beneficia eorum, quæ ab Ecclesiis sumunt, honores quoque & dignitates, quas sibi in Ecclesiis acquisuerunt, diutius subsistere non possint: id quod luce meridiana clarius est. Cùm tamen liber Reform. adeo leniter agat, ut quilibet suos honores, suaque beneficia facillè retinere possit: dummodo Domino nostro Iesu Christo suum ius, suamque imperium in Ecclesia eius saluum relinquatur, suamque autoritatem retineant, quæ expressè ab eo mandata sunt & præcepta.

*Quid senserit antiqua Ecclesia de Traditionibus.*

CAP. II.



**D**VERSARIJ adducunt plùrimum loca ex S. Patribus, ad comprobandum, quòd vetus Ecclesia senserit, non omnem doctrinam ex S. literis desumi & confirmari posse: sed esse adhuc pia quædam dogmata & obseruationes, quæ sola traditione & institutione Apostolorum ad nos vsque peruenerint, quarum nihil vspiam in S. literis inueniatur disertis verbis expressum: eas non minorem habeat vim ad pietatem, quàm ea quæ reperiuntur in scriptis Apostolorum expressa. Et si quis aggrediretur eiusmodi consuetudines nullis scriptis.

scriptis præditas, velut non magnam vim habentes, reicere, eum etiam  
 ipsis principalibus Euangelij partibus iniuriã inferre: imò potius ipsam  
 Euangelij prædicationem ad nudum nomen contrahere: denique cum  
 tali de religione non esse agendum, quandoquidem non omnis doctrina  
 pietatis ex Scriptura deduci, aut ex ea sola comprobari possit. Et  
 hanc sententiam suam putant se ex Epiphanio, Basilio, aliisque Patribus  
 confirmare posse. Cæterum quo magis perspicuum fiat, quid in hoc ne-  
 gotio vêtus Ecclesia senserit, tria notanda erunt. Vnum est, Quàm mul-  
 tas traditiones veteres instituerint, & quomodo. Alterum, Vnde certio-  
 res reddi possimus, quæ sint reuera traditiones Apostolicæ. Tertium,  
 Quomodo dicta Patrum de traditionibus diiudicanda & discernen-  
 da.

Primum, de cuiusmodi traditionibus perpetuò loquantur Patres, &  
 quàm multiplices proponant, tũ quas pro verè Apostolicis, hoc est, sine  
 dubio ab ipsis Apostolis traditis agnoscant, quas item excogitatas &  
 confictas ab hominibus. Iam si vetustissimorum Patrum loca, in quibus  
 de doctrinis & obseruationibus non scriptis loquuntur (cuiusmodi est  
 ille locus Irenæi lib. 3. per quatuor priora capita) diligenter intueamur:  
 qualis etiam ille Tertulliani in libro Præscriptionum, & lib. 3. con-  
 tra Marcionem: item de Corona militis, apparebit. S. Patres alia de do-  
 ctrina, alia de ritibus ac ceremoniis Ecclesiasticis tradidisse: & in vtro-  
 que genere alia vt ad agendum necessaria, alia vt non necessaria  
 proposuisse.

Principalis traditio Ecclesiæ est, quoniam sint Canonici libri Veteris  
 & noui Testamenti. Ea in nullo scripturæ loco habetur disertis verbis  
 expressa, sed ex traditionibus veterum ad nos vsque peruenit: quemad-  
 modum nec illa: Scripturam iuxta eum sensum, quem in communi sym-  
 bolo confitemur, explicandam & intelligendam esse: & quemadmodum  
 idem ille sensus in posterioribus symbolis prolixius traditus & fusiùs  
 explicatus est, quem S. Patres semper ex S. scripturis principaliter con-  
 firmarunt, quamuis traditiones quoque allegabant. Hæ tradi-  
 tiones ad doctrinam pertinent, & sunt obseruatu necessa-  
 riæ.

Præter has sunt alię traditiones & de Interpretatione Scripturarum,  
 quibus necessarium non est adhibere fidem: cuiusmodi hæc est, quam E-  
 piphanius de Lazaro commemorat, quod 30. annorum fuerit, cum  
 primò moreretur, (¶) quod vixerit 30. post resurrectionem lib. 2. to. 2. pag. 193.)  
 Christus in Euangelio narrat inter templum & aram à Iudæis  
 interfectum, fuerit pater Ioannis Baptistæ. Item quod Magi  
 ex Oriente iamprimum biennio post natiuitatem Christi Hiero-  
 solymam venerint. Hæ traditiones, neque id genus aliæ, e-  
 sunt in eadem autoritate, nec vnquam quisquam alterum propterea  
 gisse annum quinquagesimum, hæc opinio plurimum discrepat ab ecclesia recepta opinio  
 quod Christus non solum vno anno prædicauit.

Irenæus  
 lib. 2. cap.  
 30. 40. re-  
 fert ex  
 traditione  
 Ionn-  
 nis Apo-  
 stoli Chri-  
 stum præ-  
 tergras-  
 sum an-  
 num qua-  
 dragesi-  
 mū non-  
 dum atti-

condemnavit. Non enim erant traditæ ab ipsis Apostolis, sed opinioniones antiquæ, quibus observandis ac tenendis nemo esset adstrictus.

Sic & inter ritus ecclesiasticos alij sunt vniuersales, & necessarij ad observandum, alij verò non item. Vt quod fideles celebrant pios conuentus: quod in iis sacras Scripturas legunt & interpretantur: quod sacramenta solenniter administrant: quod diabolo & mundo renunciant, & profitentur fidem suam: quod infantes baptizantur, aliæque id genus ordinationes. Hæ omnes necessariae sunt, & debent ab omnibus observari. Quod verò Tertullianus commemorat in lib. de Corona militis, Baptizatos olim consueuisse post perceptum Baptismum lac & mel comedere. Frontem ad omnia quæ quivis agit & exercet, signo crucis munire: diebus Mercurij & Veneris ieiunare: has & similes observationes nemo iudicabit vniuersales & necessarias.

Est & hoc in traditionibus diligenter notandum: Nullum esse certum librum, in quo expressè ponantur omnes, sed ex scriptis patrum vndique colligendas esse. Eas verò diuersimodè proponunt, nec eandem omnibus auctoritatem attribuunt. Quamobrem quantumvis multæ traditiones proferantur, omnes tamen primum omnium ad normam S. literarum exigendæ sunt, ac diligenter videndum, num illis consentiant: num ad pietatis proectum, quem scriptura requirit, conferant, an verò minus. Si enim sint reuera ab Apostolis profectæ, certissimum est eas in sacra Scriptura fundatas esse, poteritque quivis Christianus facillè videre, quod ad veritatem pietatem aliquid habeant momenti ac ponderis. Contra quæ deprehendentur ad pietatem esse inutiles, illæ poterunt per sacras Scripturas confutari ac reijci, vt quæ veram pietatem magis impediunt quàm promoveant.

Sed hæc per exempla declaremus. Apostolica traditio est, quod fideles diabolo renunciant, ac fidem suam propria persona in Ecclesia profitentur. Hic consideretur, quàm certum & firmum fundamentum habeat hæc Ordinatio in scripturis, & quàm perspicuum sit, eam ad fidei ædificationem conducere. Disertè enim in sacris literis expressum est, vnumquemque debere propriam suam fidem profiteri, idque summa cum religione. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Ex quo sua sponte secutum est, vt publica quædam confessio forma constitueretur, in qua fideles & diabolo renunciarent, & fidem suam verbis scripturæ consentaneis confiterentur. Scriptura enim hoc quoque expressè docet, vt omnia quæ ad Deum pertinent, summa grauitate, summoque ordine pertractentur. Ad eundem modum præcipit, vt sacra Domini Cæna in memoriam eius celebretur, & annunciationem mortis ipsius. Vnde Spiritus sanctus non in Apostolis tantum, sed in quolibet Christiano colligere potuit, lectiones sacre Scripturæ, Psalmos & preces ad administrationem S. Cænae summa cum religione ac celebritate adhiberi debere, quò ineffabilis miseri-

Aug. E-  
pist. 107.  
p. 23. &  
de pecca-  
torū me-  
ritis cap.  
20. refert  
traditio-  
nē dandi  
infanti-  
bus Eu-  
chari-  
stiam.  
Epiphani-  
lib. 3. tom.  
2. pa. 326.  
Apostoli  
tradide-  
runt Dei  
mandatū  
esse feria  
4. pro sab-  
batho vs-  
que ad  
horā no-  
nam, &  
quod cō-  
munionis  
ordinata  
sunt ab  
eisdem  
quarta  
& pro  
sabbatho  
domini-  
ca, ibi ha-  
bet mul-  
tas tra-  
ditiones  
Ecclesia.  
Sed vide  
historiā  
triparti-  
tam lib.  
9. cap. 38.  
de huius  
modi tra-  
ditionib.  
in quibus  
authori-  
bus flu-  
xerint.  
Rom. 10.

miseriordia Dei melius in memoriam reuocari, altiùsque mentibus infigi possit.

Docet etiam sacras Scripturas, vt in sacris cœtibus cum timore & tremore compareamus, ac diligenter curemus, quo in illis omnia summa religione ac deuotione animi peragantur. Quod Paulus ordinauit in Ecclesijs Christi, antequam de eo scripsit Corinthiis, vt ipse testatur 1. Corinth. 14. Nempe vt mulieres in Ecclesijs taceant, vt omnia ad intellectum & adificationem eorum qui adsunt & dicantur, & agantur. Quandoqui dem præcipuum mandatum in lege postulat, vt proximos nostros diligamus, sicut nos ipsos: eademque præstemus ipsis, quæ nobis ab ipsis præstari desideramus. Ex quo præcepto facillè erat cuius Christiano concludere, ordinandum esse vt inter Christianos quiuis aliquod vtile laboret, propriumque panem manducet, & nemini sit oneri ac graua mini: alioquin indignus qui habeatur in numero fratrum: quod Paulus in Thessalonicensium ecclesia ordinauit, antequam id scripto illis præciperet, 1. Thessalon. 3. & 2. cap. 3.

Huiusmodi ordinationes, quæ fundamentum suum habent in Scripturis, & ex eis necessaria consequentia deduci possunt, per se quoque ad pietatem conducunt, verè Apostolica sunt, quæ vt pio vsui & obseruationi restituantur, summopere annitendum est, id quod liber Reformationis conatur efficere. Contrà faciunt Aduersarij: hi enim de signis ac variis obseruationibus, quæ aliam in se significationem habent, acerrimè depugnant, quæ iamdudum in horrendam idololatriam, ac manifestum contemptum conuersæ sunt, & adhuc hodie in maximo abusu versantur. Verùm de his infra suo loco dicetur.

Alterum quod circa Traditiones notandum est, quod solummodo per sacras Scripturas certiores reddi possumus, quænam traditiones sint verè Apostolica, omnibusque Christianis obseruatu necessaria. Quando enim contingit, vt alij Patres vnã eandemque traditionem proponant vt necessariam, alij verò vt non necessariam, id quod non raro vsu venit, ibi certo iudicio opus est. Id autem vnde petetur Nunquid ex verbo Dei contento in sacris literis? Maxime quidem. Constat enim apud antiquos quoque multos errores viguisse: de quo & D. Augustinus conqueritur, quòd suo tempore omnia iam essent præsumptionibus humanis referta. Ita enim appellat eas consuetudines, quæ in Ecclesijs sine verbo Dei exortæ fuerant.

Ad hæc potest quoque ex Biblicis libris cognosci, quænam traditiones debeant parẽ cum illis auctoritatem habere: id quod S. Patres, Irenæus, Tertullianus, & alij contra Marcionitas & Manichæos ex sacris libris euidentissimè demonstrarunt: & ipse quoque Augustinus tandem agnouit. Quemadmodum enim verbum Dei nemo agnoscere potest, nisi per donum Spiritus sancti, ita quibus Dominus Deus verbum suum largitus est, donumque Spiritus S. hi per verbum sacris Bibliis

contentum, & virtutem Spiritus S. in quemcunque librum inciderint, agnoscere possunt continuò, eum esse librum Dei, in eoque verbum Dei contineri. Omnia enim quæ vera & recta sunt, sibi ipsis per omnia sunt similia & consentanea. Ioan. 8. dicit Dominus Iudæis, Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me. Quo dicto Dominus certam notam tradit, qua cognosci possint qui ex Deo nati sunt: nempe quod sermones suos agnoscunt, idque ex spiritu Dei, qui in ipsis est, & docet eos omnia, & quæcunque à Domino audierunt, reuocat ipsis in memoriam. Iohan. 14.

Quamobrem ab initio cum Dominus sacras Scripturas veteris Testamenti ore populo suo traderet, ipsi verò in eis perseuerarent, facile potuerunt per eas & virtutem Spiritus Sancti discernere inter scripta, quæ sub nominibus Apostolorum diuulgabantur, an essent reuera ab Apostolis profecta, an verò minus. Quod iudicium primarum Ecclesiarum, etsi meritò plurimum authoritatis & momenti habuit apud posteros, tamen præcipuum huius cognitionis seu diiudicationis fundamentum in sequentibus Ecclesiis, non in præiudiciis ac traditionibus primarum Ecclesiarum positum erat, sed in conscripto verbo Dei & interea doctrina Spiritus sancti. Ex quo verbo & spiritu posteriores Ecclesiæ iudicarunt, eiusmodi scripta esse verè Apostolica, & à Spiritu sancto profecta: non minus quàm id ipsum primitiua Ecclesia ex præscripto verbo cognouit, & suggestionem Spiritus sancti.

Tertium in Traditionibus obseruandum est; Quòd etsi patres interdum honorificè de externis obseruationibus & consuetudinibus non scriptis loquuntur, & plurimum illis attribuunt: eas tamen nihilominus ad canonem sacrarum literarum examinandas esse. De talibus enim locis, si quando occurrunt, quemadmodum de reliquis omnibus scriptis ac doctrinis S. Patrum, non aliter sentire debemus, quàm ipsi de illis, imò de propriis personis senserunt, ac testati sunt. Nempe, omnium S. Patrum, quantumuis antiqui, quantumuis sancti & docti fuerint, doctrinas & traditiones non ideò vt veras ac certas acceptandas esse, quod à tam sanctis, tam vetustis, in doctis patribus traditæ fuerint ac conscriptæ: sed quod vel ex S. literis, vel aliis rationalibus causis comprobari ac confirmari possint. Notandum est etiam, inueniri in scriptis S. Patrum nonnullos errores, neque enim vt supra dictum est, omnes vbique inter se consentiunt, imò quod grauius est, vnus & interdum sibi ipsi repugnat. Qui errores, saluo tamen honore, qui Patribus debetur, arguendi ac refellendi sunt. Solis enim Biblicis scriptis hic honos tribuendus est, quod ea quæ in ipsis comprehenduntur, propter certitudinem eorum, non debeant in dubium, & controuersiam vocari. Quare cum S. Patres ipsi prohibeant fidem scriptis suis adhiberi, nisi dogmata sua, vel ex verbo Dei, vel ex euidentibus rationibus, quæ omne dubium ex animo lectoris queant auferre, demonstrent, sanè nec ij, qui librum Reform. oppugnant, nec vlli alij aduersarij poterunt probare, quòd vel aliquid in scriptis Patrum pro certo & in dubi-  
tato

tato recipi debeat, quandiu non est certo aliquo & primo Scripturæ testimonio confirmatum.

Quod si quid verum ac bonum siue in doctrina, siue in ceremoniis Christianæ religionis nostræ, non planè posset ex sacris literis apud omnes, qui verè Deum timent, doceri ac comprobari: vel aliquid contrarium ex eisdem manifestè confutari ac condemnari, sequeretur spiritum S. de scriptura sua verè testatum non esse, cum affirmat eam esse vtilem ad docendum quæ vera ac bona sunt: ad redarguendum & corrigendum quæ contraria: idque tam clarè, tamque firmiter, vt homo Dei omnino integer fiat, & ad omne opus bonum apparatus, 2. Timoth. 3. Et qua ratione fieri posset, vt Magister & Doctor omnis veritatis spiritus sanctus, omnem salutis doctrinam, & præmunitionem contra falsa dogmata, non longè plenius & efficacius in scriptis suis proposuisset, quam in vllis aliis libris ac scriptis fieri potest, quæ non tota, vt S. Bibliorum libri, sunt à spiritu S. scripta atque composita? Ipse enim est, qui solus hominibus omnem veritatis ac pietatis intellectum largitur, & dat, vt eum in aliis quoque transfundere queant. Quod cum ita sit, nemo est qui inficiari queat, scripta S. Patrum, omniæque id genus alia, ad normam verbi Dei reuocanda & examinanda esse, neque minus ea, quæ de Traditionibus scripta reliquerunt.

*Conciliatio eorum quæ ab Aduersariis adducta sunt ex*

*S. Patribus, quæ si pugnantiæ cum doctrina*

*libri Reformationis.*

**A**Duersarij, quo alitè traditiones non scriptas extollant, plurimos Patres adducunt, nempe Basilium, Augustinum, Epiphanium, Dionysium, Irengum, Tertullianum. In prima verò acie Basilium collocant, vt qui aliquantò sublimius de Traditionibus scripserit, videlicet quòd ad pietatem eandem habeant vim, quam habent sacræ Scripturæ: item quòd nemo eis contradicat, qui vel modicam saltem ecclesiasticorum iurium experientiam habuerit: tum quòd si aggredemur consuetudines nullis scriptis reiicere, ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus, denique quòd cum eiusmodi hominibus, qui traditiones reiiciunt, de doctrina Dei agi nec debeat, nec possit.

Ad hanc citationem S. Patrum hæc est generalis responsio. S. Patres fuerunt Christiani Doctores, habuerunt que præclara & excellentia dona. Et quantum ad necessaria religionis nostræ dogmata pertinet, extra dubium est, eos nulla ex parte libro Reformationis repugnare, dummodo eorum scripta ritè intelligantur, nec contra suam ipsorum sententiam & fidem torqueantur.

Omnia loca quæ Aduersarij adduxerunt in genere testantur, Apostolos præter ea quæ scriptis consignarunt, alia adhuc dogmata,

alias ordinationes in Ecclesiis Christi instituisse, quæ in eorum scriptis non disertè reperiuntur expressæ. Huic consentit Reformationis, simulque præcipuas doctrinas & traditiones, quæ certè ab Apostolis institutæ sunt, in medium profert, proque vsui restituere conatur. De hoc igitur nulla controuersia.

Cæterum quænam sint istæ traditiones & obseruationes, quas Apostoli ordinarunt in Ecclesiis Christi: & quænam earum habeant eandem vim ad pietatem quam habent eæ, quas in scriptis suis consignatas nobis reliquerunt, de eo controuertitur.

D. Basilius inter cæteras traditiones & obseruationes, quas Ecclesie ex sermonibus Apostolorum, sine scripto acceperant, has quoque recenset: Munire se signo: Baptizandos ter in aquam mergere: toto tempore quod est inter Pascha & Pentecosten, in Ecclesia stando precari: Item verba inuocationis, quando panis gratiarum actionis, & calix benedictionis ostenditur. At certum est Basilium nunquam sensisse, quod eiusmodi obseruationes eandem vim habeant ad pietatem, quam habet Baptismus.

Oratio, dicta & facta Domini in S. Coena, quæ omnia sunt in Scripturis expressa: nec arbitror aduersarios facilè dicturos, Basilium in ea fuisse sententia: quemadmodum nec id, quod Basilius condemnet eos qui hos ritus contemnunt, ac si principalibus Euangelij partibus iniuriam intulissent. Non sanè facient: alioquin seipso quoque cogerentur damnare, quandoquidem infantes baptizandos non ter in mergunt in aquam: item à festo Paschatis vsque ad Pentecosten non minùs flexis genibus orant quàm aliis temporibus, quamuis hæc consuetudo temporibus Tertulliani fuerit obseruata, Conciliumque Nicenum quasdam ordinationes instituerit de eo, quod toto hoc tempore debeant stando preces fundi. Ad hæc nulla inuocatione vtuntur, cum panis & calix benedictionis monstrantur: imò ne quidem sciunt, cuiusmodi fuerint hæc verba, quorum meminit Basilius.

Quamobrem res ipsa testatur, nec Basilius, nec quemuis alium S. Patrum in ea fuisse opinione, quod omnes veteres traditiones veterum eandem vim habeant ad pietatem, nam ne quidem Apostolicas omnes receperunt. Quare videndum initio est, vt suprâ quoque memini, quænam traditiones verè Apostolicæ sint, quæ non: & inter Apostolicas quænam sint obseruatu necessaria, quæ non sint. Vt ij qui se tradunt in obedientiam Christi, diabolo & omnibus eius Angelis renuncient, fidem suam confiteantur, idque secundum verba Baptismi, nempe quòd credant in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Vt ad administrationem Coenæ S. Scripturæ legantur, Psalmi canantur, fundantur preces, & non solum Domini verba recitentur. Hæc tria quæ à Basilio in suprâ dicto loco inter traditiones non scriptas ponuntur, longè aliam vim habent ad pietatem, quàm quatuor illa quæ paulò antè commemorata sunt: quorum obseruatio necessaria non est, horum verò Christianæ

stianis vt necessaria est coniuncta.

Sit igitur hoc generale responsum ad omnia ea quæ hoc loco ex Patribus adduxerunt. Certum est pias quasdam ordinationes fuisse Ecclesiis Christi ab Apostolis institutas, quas summa diligentia Christiani tenentur obseruare, negligere verò & intermittere non possunt, nisi cum pietatis detrimento & offensione. Hæ verò eiusmodi sunt, quales iam sunt commemoratæ, vt de religiosa publicarum presum obseruatione, de S. Lectionibus, de administratione Sacramentorum, & solemnî exercitio Christianæ disciplinæ.

Quæ traditiones omnes fundatæ sunt in verbo Dei, & ex eodem desumptæ, verèque & efficaciter conducunt ad pietatem. Et harum nulla est in Libro Reformationis prætermittenda.

Vtebantur quoque antiquitus Ecclesiæ variis signis, quæ vtrum ab Apostolis traditæ fuerint, certò affirmari non potest, etiam si continuò post eorum tempora cœperint in Ecclesiis vsurpari. Quorum signorum, quoniam in verbo Dei fundata non sunt, sicut superiores ordinationes, nec eandem habent ad pietatem vim, aliam iam dudum in desuetudinem abierunt, alia nostro adhuc seculo in externo exercitio versantur, idque non sine horrenda superstitione. Quare potestatem habent Ecclesiæ Christi huiusmodi signa mutandi, & corrigendi, quemadmodum omnia exercitia, de quibus non habetur expressum mandatum Domini. De his signis & actionibus significantibus non pronunciauit Basilius, quòd eandem vim habeant ad pietatem, quàm ea quæ in S. Scripturis reperiuntur expressè mandata & præcepta. Hanc responsum datam ad locum Basilij si aduersarij receperint (nemo enim modo ratione & communi sensu præditus sit, eam reiicere potest) euicimus id, de quo certabatur, nempe, quòd omnia ea loca quæ adduxerunt ex Patribus, libro Reformationis nullo modo repugnent. Quòd si illi acquiescere noluerint, audiant aliud, Nullam sententiam Patrum nos ligare sine verbo Dei. Et quis iudicaret verum esse ministerium Ecclesiæ, qui contenderet consuetudinem muniendi se signo crucis: baptifatos ter repetitis vicibus in aquam immergendi: ad S. Cœnæ administrationem verba quedam recitandi, quæ nullibi reperiuntur à Domino præscripta: stando vel genibus flexis orandi, quæ omnia sine fundamento S. literarum exorta sunt, eandem debere authoritatem habere, quàm ritus concionandi, fides Crucifixi, Baptismus, S. Cœna, & Oratio quæ sunt in S. literis disertè expressa. Verùm ita non senserunt Basilius & Dionysius, sed dubium non est, quin eadem ratione, quanos inter Traditiones & ordinationes distinxerint. Et hætenus peculiariter ad citationem Basilij responsum sit.

Dionysij locus nihil aliud habet, quàm primos quoque Ecclesiarum antistites quedam ordinasse & instituisse, quæ non habeantur aliquo scripto consignata. Quòd & Liber Reformationis affirmat, & iam antea declaratum est.

Loca Irenej, Tertulliani, & partim Augustini, quæ ab Aduersariis

adducta sunt, scripta sunt contra Marcionitas & Manichæos, aliosque hæreticos, qui aliquos libros S. Scripturæ reiciebant, & contradicebant præcipuis articulis Christianæ fidei nostræ. Epiphanius locus nihil aliud vult, quàm Apostolos dogmata quædam Ecclesiis sine scripto tradidisse. Et nos hoc idem asserimus. Quòdque ad intelligendas S. Scripturas, & alia pia dogmata, eas quoque doctrinas & alia pia dogmata, usurpare oporteat, quæ ore tantum ab Apostolis traditæ sunt, nullòque scripto consignatæ. Non enim omnia à diuina scriptura accipi posse. Verùm hoc dicit de tradito S. scripturarum intellectu (quam traditionem hac etiam in parte pro Apostolica agnoscimus) sine quo certè non per omnia sufficeret S. Scriptura, vt antea dictum est. Ille tamen nihilominus in verbo Dei fundandus est, quemadmodum eodem in loco ipse Epiphanius facit. Quicumque donum habet Spiritus Sancti, is verum Scripturarum sensum facillè ex ipsis Scripturis discere potest. Et qui spiritualis est, is adiumento Spiritus Sancti, & S. Scripturarum nullo negotio inter doctrinas traditas, ac verum S. Literarum intellectum, qui Ecclesiis ab Apostolis traditus est, discernere valet. Rectè igitur Epiphanius eiusmodi traditionibus usus est contra errores hæreticorum.

Docebant enim Angelos creasse mundum, & hominem integritati suæ restituisse, negabant & diuinam & humanam naturam Christi: contemnebant mortem & resurrectionem eius: & multos alios horrendos errores inducebant contra præcipuos articulos Christianæ fidei nostræ. Et quoniam multos libros S. Bibliorum negabant, reiciebant item ea quæ quilibet Christianus confitetur in Baptismo, erantque omnibus temporibus iuxta ordinationem Apostolorum in Ecclesiis obseruata, percommode vsi sunt. Patres auctoritate traditionum & ordinationum Ecclesiarum Christi, quas ab ipsis Apostolis acceperant, & adhuc integras & inuiolatas obseruabant: maximè verò earum Ecclesiarum, quæ ab Apostolis ipsis erant constitutæ, vt Romana, Ephesina, aliisque quæ tunc temporis dogmata ab Apostolis accepta, fideliter & incorruptè adhuc tenebant.

Cæterùm hoc loco duo obseruanda sunt: Vnum est, Cuiusmodi sint hæc res, in quibus S. Patres Apostolicarum traditionum auctoritate vtuntur: Alterum est à quibus Ecclesiis earum testimonium petant. S. Patres non de re quapiam externa, aut in significando tantum posita cum hæreticis depugnabant, sed de eo, quòd libri Biblici verè sint libri diuini: quòd communis nostra fides de Deo Patre & Christo Domino, quemadmodum eam confitemur, vnicus sit, ac verus scripturarum intellectus, traditus ab ipsis Apostolis. Nec in quibusuis Ecclesiis quærendas censuerunt Apostolorum traditiones, sed in iis tantum, quæ verè essent Apostolicæ. Neque etiam in illis solum, quæ aliquando traditiones Apostolorum habuissent,

font, sed que eas habebant tunc temporis, & integrè atque inuiolatè obseruabant. Synceram Apostolorum doctrinam certis locis, in quibus semper inueniri posset, non alligarunt (sicut nonnulli doctrinam Christi ad sedem Romanam astringunt) sed in eo dona Dei respiciebant, que Dominus tunc temporis Ecclesiis istis fuerat largitus. Si enim nullæ scripturæ extarent (quemadmodum hæretici isti nonnullas penitus reiecerunt) vnde posset de doctrina Apostolorum certius iudicium sumi, quàm ex iis Ecclesiis, quæ doctrinam eorum fideliter ac synceriter tenerent? Horum omnium quænam vel minima vestigia nostro seculo relicta sunt Hierosolymis, Ephesi, Corinthi, aliisque in locis, in quibus Ecclesiæ ab ipsis Apostolis fuerunt plantatæ & constitutæ? Quid item Romæ reliquum sit, nimis pro dolor manifestum est.

Tertullianus in libro de Præscriptionibus inquit, Veritas disciplinæ, ac fidei Christi, eadem est & veritas scripturæ Sanctæ, & omnium Christianarum traditionum. Constat igitur adducta S. Patrum loca non id velle, quòd à quibusvis Ecclesiis, etiam his quæ ab Apostolis initio fuerunt constitutæ, testimonium de verè Apostolicis dogmatibus & traditionibus petendū sit, & earum potius quàm in S. literarum auctoritate nitendum: sed veritatem Christi in iis locis quærendam esse, vbi re ipsa tunc temporis extabat. Eius verò confirmationem & certificationem voluerunt Patres semper ex scripturis potius desumi, quàm vllis aliis Ecclesiis quæ sunt in mundo. Eodem modo si dona Dei quærimus, recurrendum erit eò, non vbi aliquando fuerunt, nunc autem singularis Dei maledictio viget, sed vbi iam reperiri possunt. Vbi enim tribuli sunt & spinæ, inde profectò ficus & vuae non colliguntur, etiam si in his locis, cum adhuc vitibus & ficis consistere essent, multa bonæ ficus & vuae fuerunt collectæ. Ioannes testatur, omnem qui peccat (siue is Romæ sit, siue Constantinopoli) Deum non videre nec agnoscere. *Carnalis enim est, atque idcirco quæ sunt spiritualia intelligere non potest.* Rom. 8. & 1. Cor. 3. Quicumque igitur iis in locis, vbi manifesta viget deprauatio diuinorum dogmatum, vbi omnia scelera & flagitia impunè grassantur, traditiones Apostolicas quærit, is certè non aliud agit, ac si vuas de tribulis, & ficus de spinis conetur colligere.

Verùm testimonia S. doctrine, ac piarum obseruationum inde desumere, vbi indubitata fides habetur omnibus his, quæ & ore fuerunt ab Apostolis tradita, & scripto consignata, eaque externa quoque vitæ conseruatione exprimentur, id liber Reformationis non prohibet, quamuis præcipuè velit S. scripturam inspicere, & ex ea voluntatem Dei agnoscere, id quod omnes quoque S. Patres docuerunt, & re ipsa præstiterunt. Certa enim incertis semper anteponenda sunt: Et quoniam omnia quæ aliquam vim habent ad pietatem quàm optimè sunt in S. literis comprehensa, cumque Apostoli omnes necessarias & vtilis scripturarum interpretationes: omnia item dogmata & obser-

*Tertullianus ibidè dicit vbi apparet veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, ibi erit veritas scripturarum & expositionum: & omnium traditionum. Rom. pag. 10.*

uationes quæ ad pietatem conducunt, fidelissimè ac plenissimè sint complexi, nulli vnquam inter Patres fuerunt, qui per traditiones supra commemoratas vel solas, vel præcipuè aliquid voluerint confirmare, sed firmiorem ac certiozem semper iudicarunt eam, quæ ex S. literis sumeretur, rerum omnium confirmationem.

Basiliius in loco citato, vbi vsum vocabuli (Cum) contra Arrianos defendit, in eo quod dicimus, Gloria Patri, & Filio, Cum Spiritu Sancto: quam vocem idèdè reiciebant, quòd non esset in scripturis vsurpata: multa de eo scribit, quòd Ecclesiæ omnis generis vocabula, nec non exercitia vsurpent, quæ ab Apostolis, & posteris eorum sine scripto acceperint. Multos etiam Patres adducit, qui hoc vocabulo Cum vsi sint, ad confirmandum, eius vocis vsum iamdudum comprobatum & receptum fuisse. His tamen omnibus nullo modo contentus est, sed insuper pollicetur, se ex Scripturis quoque vsum vocabuli Cum, vt legitimum demonstraturum, quòd & facit, idèdè euentibus argumentis sumptis ex ipsis verbis Baptismi, & Pauli 1. Cor. 5. Idem fecerunt & reliqui Patres Irenæus, Tertullianus, & Augustinus, quando contra Marcionitas & Manichæos disputabant, etiamsi autoritate traditionum, & piarum ordinationum, quæ in Ecclesiis erant vsu receptæ, efficaciter, vt dictum est, ac rectè vti poterant, propterea quòd hæretici isti alios quidem S. Bibliorum libros penitus reiciebant: alios verò quos recipiebant in contrario sensu, ac prorsus deprauato proponebant: habebantque verarum Ecclesiarum consensum, quæ nõ in iis tantum articulis, de quibus controuersia erat, sed & in reliquis omnibus, veram Apostolorum doctrinam, tam scripto, quàm sine scripto ab ipsis erat tradita, bona fide adhuc obseruabant, operibusque exprimebant.

Adhuc vnã sententiam citant ex Augustino, nempe omnes Ecclesiarum Consuetudines, tam particulares quàm vniuersales, si ad fidei & charitatis ædificationem conducant, obseruandas esse: contrà verò penitus è medio tollendas, quæ eidem magis obesse quàm prodesse videntur. Sicut & istas, quæ etsi fidei non manifestè repugnant, ad eius tamen & charitatis profectum vim nullam habent: modò id fieri possit sine grauiore aliqua fidelium offensione: propterea quòd non aliò spectant, quàm ad seruire grauamen populi Christiani, iugumque Iudaicum. Hæc sententia non est contraria libro Reformationis. Neque enim Aduersarij, neque alij quicunque poterunt demonstrare quòd vlla consuetudo Ecclesiæ utilis ad propagationem fidei & charitatis, sit per librum Reformationis abolita: aut rursus vlla alia instituta, quæ eidem obstat arque officiat. Quin potius omnes labores, qui in libro Reform. impensi sunt, in eum solum finem tetenderunt, vt vtilis ac salutaris consuetudines omnes in Ecclesiis restituerentur: ea verò abolerentur, quæ fidei & charitati, ac proinde Christianæ libertati contraria sunt & aduersa.

*Conclusio*

## Conclusio ad primam accusationem.

Quamobrem cum de Apostolica Ecclesia, quæ & doctrina & vsu Sacramentorum, & externa vitæ conuersatione in omnibus iis, quæ ab Apostolis tradita accepit, parum admodum aut nihil sciamus: id quod nemo negauerit: cumque Augustini temporibus iam omnia præsumptionibus humanis essent repleta (ita enim appellat eas cõsuetudines & obseruationes Ecclesiarũ, quæ ab hominibus extra verbũ Dei fuerat excogitata) quæ ad nostra vsque tẽpora in immensũ creuerunt, ad eũ vt quæ traditiones verè Apostolicæ sint, atque obseruatu necessaria, quæ minus, nulla alia ratione diiudicare possimus, quàm medio scriptorum Apostolicorum, quis est qui reprehendere meritò possit id quod liber Reformationis Pastores & concionatores ad S. Scripturam potius quàm ad quæuis alia scripta hortatur? Neque vllum alium librum habemus, in quo verè Apostolicæ traditiones certò contineantur, quàm libros S. Scripturæ. Huc accedit, quòd antiquæ ordinationes & obseruationes, quas nonnulli affirmant Ecclesias ab Apostolis accepisse, non eodem modo ab omnibus Patribus describuntur, plurimæque quæ temporibus Patrum in celeberrimis vsu versabantur, iam dudum in vsu esse desierunt.

Cum igitur constet, nos de doctrinis, consuetudinibus, & obseruationibus, Ecclesiarum tam Apostolicis quàm non Apostolicis, quales singulæ sint, non aliter quàm ex verbo Dei cognoscere & diiudicare posse, tum S. Scripturam abundè quæ bona sunt & ad salutem necessaria docere, concludatur: Omnes Christianos Concionatores teneri, vt omnes conciones, omnia dogmata sua, ex hoc Sancto libro depromant, ex eoque omnes Ecclesiarum institutiones & obseruationes confirmant, siquidem fideles ac vtiles ministros Ecclesiæ Christi se præbere voluerint. Et hoc ex certissimo Dei verbo probari potest, cum ex innumeris aliis Scripturæ locis, tum præcipuè ex his suis & Apostolorum suorum verbis: *Scrutamini scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam aeternam habere, & illa sunt quæ testificantur de me, nec vultis venire ad me, vt vitam habeatis*, Ioan. 5. *Persistite in his quæ didicisti*, 2. Timoth. 3.

Quod verò reprehendunt id quod Liber Reformationis potestatem dat Concionatoribus inter omnes doctrinas & traditiones non scriptas discernendi: easque diiudicandi, ad hoc respondetur, librum Reformationis non plus authoritatis Concionatoribus tribuere, quàm tribuit Spiritus S. his verbis: *Omnia probate, quod bonum est tenete*, 1. Theff. 5. Et, *Probate Spiritus, num ex Deo sint* 1. Io. 3. Neque etiam plus quàm D. Augustinus, & omnes S. Patres Christianis doctoribus attribuunt. Debent enim fideles Christi ministri & dispensatores Dei, nihil aliud quàm certissima Dei mysteria dispensare. Quare oportet, vt ea ex certo iudicio spiritus S. talia esse firmissimè sciant. Eousque possunt ac debent omnia quæ in negotio religionis ab hominibus proponuntur, probare & diiudicare: idque non ex sua sapientia

aut verbo, sed ex verbo & spiritu Dei.

Postremò quòd obiiciūt, Multas particulares, sed salutare ordinationes in Archiepiscopali Diocesi Coloniensi per Librum Reformationis reiectas esse, ad hoc dicitur, ipsos iniuriam inferre Libro. Qua responsione contenti sumus, donec vel vnam aliquam salutarem ordinationem producant, quæ sit in libro Reformationis abolita: quod sanè non facient.

Haftenus igitur ad primam accusationem responsum sit: contra quam aliquanto prolixius agendum fuit, & in singulis controuersis diutius inhærendum fuit: propterea quòd Aduersarij dum antiquas traditiones, dogmata & obseruationes Ecclesiarum tantoperè extollunt, summum adiumentum contra doctrinas & ordinationes Christi, quæ in libro Reformationis proponuntur, quærunt. Multi enim iiq̄e boni viri decipiuntur, cùm audiunt aliquid ordinari & institui, quod pugnet cum his quæ S. Martyres & Patres, vt ab Apostolis ipsis tradita tanta veneratione obseruarunt & coluerunt. Quare docendi erunt homines, hanc esse vanam iactationem, librùmque Reformationis ne minima quidem ex parte vlli dogmati, aut ordinationi repugnare, quæ sit ab Apostolis tradita Ecclesiæ, vel omnibus aliis quæ traditionibus Apostolicis æquiparari possint.

*De vero intellectu Sacra Scripturae.*

CAPVT III.



**H**OC loco ponunt Aduersarij, primùm, quod verbum Dei clarissimè docent, verum intellectum Sacrae Scripturae in sola Catholica Ecclesia querendum esse. Deinde ad confirmationem suæ sententiæ, adducunt & Scripturarum & S. Patrum testimonia. Tertio reprehendunt librum Reformationis, quod doceat, ad solam seu nudam Scripturam esse recurrendum, ei que soli fidem adhibendam. Et quòd prædicatores idcirco nihil omnino humane opinionis suæ doctrine debeant immiscere, cùm omnis homo sit mendax. Nihilominus autem Pastoribus & Prædicantibus faciat potestatem Scripturas declarandi, & interpretandi, & hoc per solam etymologiam vocabulorum & collationem locorum obscuriorum ad clariora. Dissimulet verò & taceat de intellectu Catholice Ecclesie.

*Responsio ad hanc Accusationem.*

**Q**VO dilucidius ad hanc obiectionem respondeatur, primum omnium refellenda erit hæc Aduersariorum positio, vt quæ non modo non sit fundata in S. literis, verum etiam illis & omni veritati ex diametro repugnet. Deinde ostendendum erit, Testimonia quæ ex Patribus adduxerunt, positionem suam nullo modo confirmare. Tertio, Quod Librum Reform. falso & temerè acculent.

*Defensio*